UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

30. An servus possit sibi retinere ea, quæ ipsi relicta sunt in legato, vel testamento? Ex p. 7. t. 7. r. 31.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76429

Visual Library

ſentis in alio §. Et cum DD. infra in Reſ.31. §. At verius, & in aliis eius not. & in Reſ.33. ſeci- tanter in §.1.

bus de facto habere. Primò ſi dominus expreſsè, vel tacitè velit, vt ſeruus aliquid habeat tanquam ſuum, & de eo pro ſuo arbitrio diſponat, ſiue illud habeat donatione domini, ſiue aliter. Secundò, ſi aliquid ſeruo donetur, aut legetur ea conditione, aut eo modo, vt nullatenus pertineat ad dominum. Tertiò, ſi aliquid ſeruo detur in ſatisfactionem pro iniuria ipſi illata in his quæ non ſubiacent dominis. Quartò, ſi bonis ſuis aliquid ludo, aut negotiatione, aut aliter lucretur abſque præiudicio obſequiorum, quæ domino debet. Quintò ſi aliquid ſibi ſubtrahat abſque præiudicio domini, ex eis, quæ poterat liberè conſumere. Sextò, ſi aliquid ei detur ob opus factum, abſque præiudicio domini.

3. Addimus, vt optime Molina *diſp.* 38. (quidquid alij dicant) in ſex dictis caſibus ſeruum habere dominium verum, & perfectum dictarum rerum, ita vt independenter à domino poſſit de eis diſponere: & dominus non poſſe abſque iniuſtitia in ſeruum ei aliquid earum auferre.

4. Iura verò, quibus decernitur, quidquid ſeruus acquirit domino acquirere, vel intelliguntur de acquiſitis, operis domino debitis, vel iam contraria conſuetudine eſſe mitigata. Et hæc omnia docet Hurtadus *de Iuſt diſp.* 1. *difficul.* 18. & *de contractibus diſp.* 8. *difficul.* 8.

Sup. hoc infra in Reſ. 31. §. vlt.

5. Notandum eſt etiam hîc cum Dicaſtillo *de Iuſtitia lib.* 2. *tr.* 18. *diſp.* 5. *dub.* 7. *n.* 47. quòd ſi mancipium ludo intentus priuaret dominum proprio labore non teneretur reſtituere, niſi tantùm pretij, quanti æſtimaretur ille labor, quo dominum fraudauit, & nihil aliud; quod eſt valdè notandum.

RESOL. XXX.

An ſeruus poſſit ſibi retinere ea quæ ipſi relicta ſunt in legato, vel teſtamento? Ex p.7. tr.7. Reſ. 31.

Sup. hoc in Reſ. ſeq. §. At veriùs. verſ. Secundò & verſ. Tertiò. & in Reſol. præterita, curſim & recitanter in §. Conueniunt. verſ. Secundò, & in tom. 6. tr. 7. Reſ. 31.

§. 1. NEgatiuè reſpondet Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 36. *quæſt.* 2. vbi ſic ait: Quæritur, quid ſit dicendum, quando Titius donat, vel legat Sticho ſeruo Caij, aliquid, ea conditione, vt ſit ipſius, non domini, vtrum id ſeruo acquiratur an domino? Quidam iuniores Theologi dixerunt, acquiri Sticho ſeruo non Caio domino, quia donatum, vel relictum eſt à Titio, vt eſſet ſerui non domini. Id probant argumento à ſimili quia ſi quis donet aliquid filio familias ea conditione, vt ſit filij, & pater non habeat in eo vſumfructum, acquiritur filio familias, nec patri acquiritur vſusfructus: ergo ſeruo acquiritur, quod ei ab aliquo donatur ea conditione, vt ſit eius & non domini.

2. Sed mihi in hac re videtur diſtinguendum. Aut enim Caius dominus conſentit, vt Stichus ſeruus tanquam ſuum habeat, quod ei datur, ac donatur; & tunc acquiritur ſeruo, non quidem voluntate Titij, qui donauit, vel legauit: ſed conſenſu ipſius Caij domini: aut in eo Caius non conſentit, & tunc inutile eſt donum, vel legatum, quia vitioſum. Neque enim Titius tranſtulit dominium in ſeruum, nec in dominum: non in ſeruum, quia donauit, vel legauit contemplatione illius, qui tamen capax non erat: non in dominum, quia vetuit Titius ne domino acquireretur, quare ſequitur, vt dominium eius, quod eſt ita ſeruo donatum, vel legatum, vel penes Titium donatorem manſerit, vel penes eius hæredes. Secus eſt de filio familias, qui ſecundum leges, & iura poteſt habere peculium aduentitium, in quo patre eius vſum fructum non habeat, vt ſi ea conditione ab extraneo aliquid accipiat. Ita Azorius, cui etiam adde Megalam *in part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæſt.* 12. *num.* 17. qui mordicus contra ſeruos, negatiuam ſententiam tenet, quia quando aliquid relinquitur ſub conditione aliqua, quæ contra leges eſt, talis conditio pro non ſcripta habetur, & perinde ac ſi adiecta non eſſet, hereditas, legatúmve capitur, vt habetur *in l. conditiones, l.* 2. *ff. de condit. inſt.* Cùm igitur prædicta conditio ſit contra leges ſupra citatas, quæ diſponunt, vt quicquid ſeruus acquirit, domino acquirat, pro non ſcripta habetur, & domino legatum eſt acquiſitum: ad quod etiam facit *l. ſi quis ſub conditione, ff. de condit. inſt.* Nec obſtat exemplum à ſimili de filio familias: nam leges ipſæ diſponunt, vt tunc filio & non patri vſusfructus acquiratur: vt patet *in auth. excipitur, C. de bonis quæ lib.* & dixi ſupra *c.* 3. *q.* 2. *verſ. Sed pone,* Sed non eſt ita diſpoſitum quoad ſeruum.

3. Sed ego contrariam ſententiam teneo, ſi bona relinquantur ſeruo abſolutè, & ſine conditione, non tamen intuitu domini, vt v.g. ob induſtriam, vel officium exhibitum, vel vt ſe redimat, &c. Et ita docet Trullench. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *n.* 3. Molina *de iuſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 38. Sanchez *in epiſt. to.* 1. *lib.* 1. *c.* 1. *dub.* 2. *n.* 7. Leſſius *lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 4. *n.* 16. & Rebellius *lib.* 1. *q.* 11. *ſect.* 2. *n.* 10. in vniuerſum approbat ſaltem pro foro conſcientiæ, quoties non donatur intuitu domini, licet donator non exprimat, quòd non acquiratur domino; quia iam donator virtualem ſaltem intentionem habere videtur, quòd acquiratur ſoli ſeruo; virtualis autem intentio id operatur quòd formalis & expreſſa.

4. Verùm Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo *de iuſt. tom.* 1. *diſp.* 3. *ſect.* 3. *num.* 55. *& ſeq.* licèt diſſentiat in aliquibus, quoad ſupradicta, tamen optimè docet *n.* 59. quòd ſeruo poteſt donari independenter etiam à domini licentia, & ita vt domino non acquiratur: quare quoties aliquis ſeruo occultè aliquid donat, præſumi faciliùs poteſt, quòd habeat talem animum donandi, & excludendi ius domini: quia eo ipſo quòd vult occultè donare ſeruo, & fugit domini notitiam, videtur implicitè donare, ita vt ſeruus non indigeat licentia, vel conſenſu domini ad vſum illius rei, atque adeò vult, quod acquiratur ſeruo ſoli, & non domino, cuius notitia, & licentia requireretur, ſi ipſi domino acquireretur. Ita de Lugo Eminentiſſimus.

5. Vnde ex dictis non eſt audiendus Azorius, quem nominatim refellit Machad. *tom.* 2. *lib.* 6. *tr.* 13. *docum.* 5. *num.* 9. vbi ſic ait: [*Todo aquello como quiera que ſea, que alguno dexa al eſclauo, ò le haze donacion con eſpreſſa, ò tacita condicion de que ſea para el, y no para el ſeñor, es proprio del eſclauo, y no del ſeñor. No obſtante que Azor la contradize,*] Ita ille; cui adde etiam Villalobos *in ſum. tom.* 2. *tract.* 10. *diffic.* 5. *n.* 4. & Fagundez *in præcepta Decalog. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 12. *n.* 4.

RESOL. XXXI.

Quidam ſeruus aliquid ſibi ſubtrahebat de neceſſariis ſine Domini incommodo, & præter opera præſcripta, ex quibus lucrum colligebat, interrogatus fuit, an de his acquireret dominium ſibi, vel Domino?

Quod eſt quærere an ſeruus poſſit habere aliquarum rerum dominium, & de rebus à ſe acquiſitis diſponere?

Et an hoc intelligatur non ſolum de ſeruis, qui domi naſcuntur, ſed etiam de ſeruis emptitiis & in bello captis?

Et

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN